

R. 10.282

19

MACARIUS MYTIUS EQVES
CAMERS DE TRIVM
PHO CHRISTI.

Matthæi Bossi Veronensis Canonici regularis
De passione IESV Christi
S E R M O.

Ex secunda recognitione.



Sala	C
	19
	52 (19)

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18


R. 10.282

19

MACARIUS MYTIUS EQVES
CAMERS DE TRIVM
PHO CHRISTI.

Matthæi Bossi Veronensis Canonici regularis
De passione IESV Christi
S E R M O.

Ex secunda recognitione.



MACARIVS MVTIVS EQVES
CAMERS LECTORI
FEOELICITA
TEM.

Aeret in primo limine libellus me⁹, parvus, blæ
sus, verecūdus, nec dum consistit infans. vix pē
dens a manu graditur. lucem refugit, & ad solē
cæcutit tenebrarum alumnus. Nudus est, rudis, solut⁹.
nullis placet vmbilicis, nō est pumicata frons, formidat
lituras, sed spongiam magis, omnia veretur, criticos p⁹
fertim, & Horret inuidiæ genuinum. Iā
sagum cogitat, & in globum se colligit, & saltum medi
tatur. iam thura timet & piper, iam non libellus erit, sed
cucullus, & scombrōs vestiet tandē inuolucro. Quod si
ronchi primū non excipiēt, & fannæ & sibila, si blande
allicias vt tactum pati discat, si mentum palpes, si pen
dulum crinem concinnes, & a frōte reducas, fortasse cup
piet depelli, & ab vbere longius reptabit. Si oscula das
bis & plausum, salua res, iam garrit morio, iam cōsistit
& gradit. exilit erro, iam fugit, surgūt plumæ, prominēt
pennæ, iam volitat, iam non cucullus est, sed cuculus,
iam omnes nidos pererrat, omnium bibliothecarum in
quilinus. Hunc tibi commendo vt blandiaris, foveas, de
fendas. in manu tua est, an perpetuo lateat, an perpetuo
vegetur.

Vale.

MACARIVS MVTIVS EQVES CA
MERS LECTORI FOELI
CITATEM.

Iratus frequēter, nec semel dolui, nō nullos qui
m bus neq; ingeniū, neq; bonarū artium studium
& eruditio, neq; dicendi facultas defuit, ludicris
narrationibus, & commentis turpibus, etiam plerūq; fa
bulis, inanem operā impendere voluisse, quum ad poste
ritatis cōmoditatem, & nominis sui memoriā, haud du
bia cum laude, multa scribere potuissent quæ ad bonos
mores excitarēt, & ad virtutē capessendā comparandāq;
gloriā hortarentur. quo in genere vt Arbitrū, Apuleium,
Lucianum, viros non cōtemnendæ doctrinæ atq; faci
diæ plane accusare nō ausim, ita asseuerare citra iustā re
prehensionem posse videor, huiuscemodi scriptores sibi
& posteris cōmodius consulere potuisse, si tantū veram
narrationē aggressi, historiā, aut si min⁹ rerū gestarū ma
teria dabat, aliquid ad humanæ vitæ institutionē, & po
liticæ rei vtilitatē, scribere maluissent. Neq; ignoro neq;
inficior huiusmodi scripta, si qui scrutari velint, & interi
orem sensum indagare, multa in recessu & altiora, & vit
liora q̄ fronte appareāt esse inuenturos. Maneo tamen
in sententia, q̄ tenuem frugē, sparsam, & magno & cō
fuso aceruo abstrusam, ad iacturā potius q̄ ad lucrū ac
cedere arbitror, si longæ inquisitionis labor consideret,
& tēporis ratio quæ nō parui ducēda est, habeat. Verū ne
hos auidius cuiq; vel pertinacius insectari videar, liberę
iuditiū omnibus relinquo, qui voluerint diligētius veri
ritatē itueri. Absoluāt sane si libet, & omni laude cum
lēt, iudiciū vero meū p̄ceptis & temerariū existimēt, ego
vl' spōte a causa cado, dixi quod sentio, mihiq; psuadeo,

A a ij

apud integrum iudicē nō facilius illos absolutū iri quā plerofq; poetas, quos clarissima ingenia, doctrinā singularē, & scribendī elegantīā, meretricijs amoribus, & impurissimis scortorum lenocinijs maculare, & diuinę poetices dignitatē, sanctitatē & gloriā, ad libidinē suam traducere ac turpiter fœdare nō puduit. Dissimulāt scilicet Clodiā, Hostiam, Planiā, impudicas procul omni dubio fœminas, & licentiā ingeniorū nominibus alijs Lesbīā, Cinthiā, Deliā luculentis versibus illustrant. Equidem nunq; adduci potui, vt cū illis sentire, qui linguę intemperantiā cū vitę probitate coniungunt. siquidē impure loqui, & bene honesteq; viuere, lōge dissentiūt. illud nimirū vitii est, hoc autē oēm cōplecti honestatē. Clamitent vt velint & obstrepāt, sic scripsit Pædo, sic Marfus, sic Getulic⁹, prurit opusculū Sulpitijs, nec frōtē caperat, sic Fescenini, sic Crotopegniō libri placēt. Quid ad causam habent culpę auctores, qui in eadē nauī sunt, nō tñ vindicant a culpa. friuola est horū defensio, quę secū pugnat. a qua cū discesserint, quid amplius dicāt plane nō habent. Hoc igit subinde inculcāt, Lasciua est nobis pagina, vita proba. Hic est is clypeus, hūc obiectāt, hoc se tuentur, nō tamē euadunt, lasciuia etenī pagina, lasciuę vitę nō probitatis est argumentum. quę probitas quęso eorū esse potest, qui veluti sanctiōes & dogmata quædā teneant libidinis: neq; existimēt sine Veneris pruritu & tentigine, quę per omnem nequitīā lumbos scalpat, & flagitioso aliquo mēdacio poemata placere. Eoq; impudētię progressi sunt, vt deorū etiā quibus templa & aras erexerunt, & cerimonijs diuinorū cultu passim venerati sunt, non sine offensiōe diuinitatis (quā illis tribuerūt) furta, cædes, adulteria, & supra impudētissimis carminibus vulgarit. Vtrūq; pfecto impiū fuit, & sceleratos ho-

mines inter deos recipere, & apotheosim celebrare, & receptos p̄brosi cumulare criminib⁹. Neutrū sane tolerari decuit, ne humana ingenia in vitii prona, deis auctori pus scelex impunitatē sibi pmitterēt. Verū neq; humani neq; diuini iuris ratiōem habētes, illos nō modo sceleratos, sed imbelles q; & ridiculos fuisse nō min⁹ impie quā impudēter palā testati sunt. Legimus nāq; deorū cathenas & vulnera, & alia quædā futiliū vatū deliramēta, sapientū auribus ac lectiōne penitus indigna. quo sit vt tolerabilior fortasse plerisq; existimet Zoilus orator, qui Homerū p̄inde ac fabulę scriptorē castigat. vnde Homeromastigos appellatio nata est. & Plato q; poetas a ciuitate sua eliminat, ac noiatim in Homerū inuectus est. illius em̄ exēplo & auctoritate, leuiora ingenia ad cōsingendū cōcitata, ineptissimis erroribus legentiū mentes implicuerūt. Vtinā inrta illas saltē fabulas cōstitissent, quę ad illecebras studioꝝ, citra oēm turpitudinem, nouitate rerū, & iucūditate narratiōis gratæ, adhuc tene rē puerorū ætati pponunt, in quibus sepe numero honesta veritas latet, quę ad virtutis rudimēta cū voluptate aliciat. vel q̄ metu futurę pœne, vel alicuius specię mōstri atq; formidine a vitijs deterrerēt. q̄les olim fuere larua, incubus, & gorgon, quarū noia terroris argumēta p̄seferūt, neq; flagitiosa potius & sacrilega, & ipsis prorsus indigna numinibus excogitassent. q̄s etem̄ patrē hoīm atq; deorū, quē appellāt, & dominū rerū, posita grauitate tonātis, in faciē tauri versum, mugire per æquor, Et p̄ciū tergi stuprū portare puellæ, æquo aio ferat. q̄s Iouis optimi maximi volātis vnguibus raptū Ganymedē ad pocula, & infanda cœli facinora sublimē ferri, & Martē cū Venere dephenſa spectāte deorū coetu, iacere turpiter nō abominet. Vtinam iteꝝ atq; iterū huiusmōi flagitia

ab his aut nūq̄ excogitata, aut e medio sublata fuissent, haberemus profecto sanctum & inuolatū poetę nomē, quale desideramus, & quondā habuere qui castis moribus mystica ceremoniarū sacra, & diuinos hymnos, aut herouū & fortium virorū gesta, ad imitādum cū laude cecinerunt, nec lauream illā quā cum imperatorū triūphis accepere, cōmunem foeda prostituta veneris proluuie, per meretricū cōcubitus, & puerorū supra maculassent. Veruntamē dum praua ingenia licētius excurrūt, paucorum lasciuia vel insania, poetice apud omnes fere infamis, irrisa atq̄ explosa, iacet. & hi malorū dæmonū cūbum, carmina, illi meretriculas, musas immerito appellāt. quando hæc hominū qui fuerint abusi culpa sit, non vitiū facultatis. An quia Arellius celebris alioquin Romæ pictor, semper alicuius amore foeminae flagras, insigni flagitio artē corrupit, q̄ dilectarū imagine deas pinxit, omnis pictura fuit improbanda. Aut si Diagoras, q̄ a re ipsa *obus* dicitur, & Theodorus, philosophi, deorū naturā sustulerunt, idcirco omnē philosophiā explodem⁹ minime sane. Sed insignem illius intemperantiā, horū impium errorem, atq̄ ignorantiā, acrius taxandam existimo. Iniquū enim foret, & nulla parte ferendū, & hęc, & illam, ad vitę dignitatē & commodum repertam, vnus aut alterius culpa exterminare, quando nulla sit ars aut facultas in qua nemo aliquādo peccarit. Par ratio est poetarū, apud quos tñ optima quæq̄ deligēda sunt, quę studiosē imitemur, si quid impudicū intercedit, respuedum est. si mala omnino occurrāt, statim fugiēda, ne cōsuetudo obscœnę lectiōis, illecebris voluptatis & lasciuæ narrationis titillatio obrepat, & in vicium incautos trahat, blāda equidē nimis est musarū vis, ad vtrāq̄ partē, & carminū modulatio si aures pateāt, facile, n. quę ve

lit ingerit secū, & mentē sermōis suauitate occupat, & aī mū in vitiū quo velit inclināt. vt merito flexanimā dixeris. Sed quā lasciuētibus etiā ingenijs nō nulla cū laude interi scribunt, q̄ minime sunt negligēda vbi inuenias, aut (vt aiūt) est sordib⁹ eruendū, & p̄ spinarū dēstratē rosa cautius decerpēda, nec magni laboris est, neminē fallūt, eminet nāq̄, & veluti lumina q̄dā e tenebris clarus lucēt, & ipsa raritate cōmendant. Splēdescūt post Eunū liguritorē, & Zoilū semiuix, pascales vers⁹ Ausonij, & post centonē pia vora matutine p̄catiōis. Vtinā nobilissimū ingeniū, & perpetuū stilū, ad hęc tñ cōuertisset. sed nescio q̄ prauo errore, & impio nō min⁹ q̄ puerlo iudicio vsu veit, vt quæ pie ac religiose scribāt, minus dignitatis & elegātię plarisq̄ habere videant. atqui apud Græcos Orphe⁹ & Homerus gētiliū deorū laudes elegāter scripsere. Apud Ro, fastorū libri, q̄ festos dies & sacra continēt, elegātissimi habitū sunt. apud Hebræos, vt Hieronymi verbis vtar, qd Psalterio canorius, qd in more nri Flacci & Græci Pindari nūc Iambo currit, nūc Alcaico p̄sonat, nūc Saphico tumet, nūc semipede igredit. Quid deuteronomij & Esaie cātico pulchrius? qd Salomone grauius? qd perfectius Iob, quæ oia hexametris & pentametris versibus, vt Iosephus & Origenes scribūt, apud suos composita decurrūt. Pudeat modo Christianos quibus nec natura nec eruditio defuit, pauca habere huiusmodi quæ aures vel mediocriter eruditas nō offendāt, & a sacrario religiōis nostræ musas tamdiu procul exulare. Scripsit oli Iuuenius, Sedulius, Arator, Prudentius, & Fortunatus, scripsere & aliq̄ quædā cū laude, & religiōis cōmendatione, sed obsoleuit id gen⁹ canoerū iam pridē, & in tenebris iacet. nemo fere exercet, nemo excitat. ecce florēt nostra tēpestare ingenia, vigēt stu

dia, quotus quisq; tamē est qui ad illustrādas sacras litte-
ras stilū accōmodet? & in ea re velit exerceri quæ ad ve-
rā frugē & imortalitatē cū gloria perducatur; vix yn^o autē
alter inueniū qui eo studio teneatur, maluntq; vel futiles
æglogas pleriq; scribere, & pastoralibus nugis obstrepe-
re, vel epigramaton scōmata iaculari, vel ad gratiā cōpo-
ni, ridere, adulari, vel aliorū amores & propriam plerūq;
insaniā versibus testari, q̄ sacrā aliquā historiā canere, &
veram cōlestiū rerū disciplinā illustrare. Vtinā mihi in-
geniū foret et doctrina par desiderio, quādoquidē omne
ociū quod vndiq; mihi daret, in eo scribēdi genere libē-
tissime cōsumerē, cuius quidē rei amplissimū testimoniū
um videri poterit, q̄ succisiuis & occupatis etiā tēpori-
bus, quātum permisērūt res meę domesticæ & principū
negocia, quibus multos annos nō minus assidue & dili-
gēter q̄ fideliter seruiui, minimā quāq; scribēdi occasio-
nem obseruaui, id quod epistolis quę opusculis meis p̄-
ponēt, facile declarabo. Et si carmina ipsa nimis q̄q;
testent nō ex ocio & vacuo animo (vt oportebat) esse cō-
posita, in quibus nil me torquet magis q̄ lima, cui nul-
lum tēpus congruū inuenio. Prēmunt itaq; rudia ap̄
me, quū neq; elimandi & excolēdi cōmoditas vlla sit,
neq; inculta ausim dimittere. Excidit tamen iā pridē in
laudem virginis Marię Parthenodię elego stilo ædita,
& hecatonstichō Heroico, attamē ad ferulā redibūt. Ex-
hibēt nihilominus propediē Poliuchus, sic carmē inscribi-
tur quo diuū Venantiū Camertē, cui^o sub numine & tu-
tela iucūdiſsima ac gratissima patria mea est, celebraui.
Festinat ex eadē officina Diui Sebastiani, & Si-
celis quæ diuā Luciā virginē Siracusanā elegis cōplexa
est, & breuis quēdā conq̄stio de Ch̄o crucifixo, quæ oīa
in vnū corpus coalescēt & tēpestiue in publicū egredien-

tur. Nunc vero triumphus Christi separatim p̄perat in
lucē, partum flagitātibus amicis abortiuū dabo. Urget
etenim me hinc multoꝝ flagitatio, hinc occupatio quæ
maturare nō sinit, malo tamen acerbū foētū eniti q̄ nul-
lum. Explorabit igit̄ vadū, si fidum inueniet, vt neq; flu-
ctibus inuidiæ obrui, neq; obtreccionū scopulis allidi
cōtingat, ducet in mediū socios libellos, in quibus mira-
ri oportet neminē si quid desiderēt. Quid enim ab homi-
ne occupatissimo, & qui studia litterarū iam pridem post
habuerit, amplius expectāt, qui omnia ad trutinam reuo-
cant? dedi quod potui, gratiā habeāt si velint. si minus,
æquo animo feram dissimulantū ingratitudinē. simu-
læ meæ non offendent, satis habeo. placere multis mi-
nimē curę est, displicere nō gratum, quod si errorē existi-
mabunt & culpā, nō potuisse ad vnguē omnia præstare,
dent veniā quęro & valeāt. Nō laudabūt, nihil inuiti cō-
ferāt, nil postulo, nil extorqueo, laudabūt aliq; quos p̄ sal-
tē animi & religiosæ mentis studiū delectabit. Vale.

MACARIUS MUTIVS EQVES
CAMERS LECTORI
FOELICITA-
TEM.

q̄ Vum legatus Ariminum peterem, cœpi in itinē-
re leuandi laboris gratia, mecum varia cogita-
re. quūq; ex alia re in aliam (vt fit) vaga men-
te transcurrerem, eo forte incidi, vt perspicerem, religio-
nem Christianam, vberrimam præstare materiā ad scri-
bendum etiam poetis, sed animos magis pronos in libi-
dinem, q̄ ad diuinum cultum erectos, a rebus sacris ab-

horre. Nam (vt cætera fileam, quæ carminibus posse il
lustrari summa cum dignitate & elegãtia cõmodissime
videbantur) subiit me pulcherrima cogitatio admirãdi
poematis, si ingenium & doctrina par materiæ contigif
set. concepi etem speciosissimũ Christi triumphũ, in q̃
aditum ad inferos, malorum dæmonũ tumultũ & fugã,
sanctorum patrum leticiam, sacra colloquia, ac reditum
cum victoria narrarem, quæ spolia dux recoeperit, qui co
mites fuerint secuti, & qua superum pompa & alacritate
patrum remearit. Tollebat animum ea cogitatio ac sub
limem rapiēbat, & dulcedine quadã nouitas pertenta
bat. Cœpi itaq; ex tempore ingenium experiri, & carmẽ
exorsus, triduum quo Ariminũ perueni ex ephippijs ce
cini. Viderũt nonnulli qui nostra ætate non habent in
docti, quũ in patriam meam vnde eram profectus redi
rem, nouũ opusculũ, & laudarunt. Placuit mihi quoq;
ne mentiar, & tanq; nouum foetum adamaui. mox refris
gerato primo calore quale esset apparuit. Altius. igit; qd
dam & vberius meditatus sum. Animaduerti nanq; nõ
vnũ modo, verũ etiam tres me posse edere triumphos, &
tribus libris suo quẽq; ordine explicare. Primus sic mihi
digerēbañ, vt spretas mortaliũ diuitias, ambitum, hono
res, plausum, regna, & id genus alias caducæ huius & in
anis vitæ illecebras, ppulfatas, calcataq; vitia omnia, &
absolutam de his victoriã contineret. quæ mihi ita faci
le visa sunt pijs inuētis posse construi & ornari, vt ad va
rietatẽ quæ plurimũ splendoris habet & ornamenti nihil
deesse plane videret. Secũdus, inferum iter, fracta erebi
claustra, attonitos dæmonas, sacras conciones, victi du
cis catenas, opima victoris spolia, & mirificã tertiæ lu
cis gloriã, qua immortalis & omnipotẽs triũphator, a mor
te rediit, figuris poeticis nõ inuicũda serie. cõplectebat.

Tertius triũphantẽ Christũ in cœlũ reducebat. hinc ma
hi comitũ catalogus, superũ põpa, & cœlestis aule cultus;
vt humana mens cape poterat, plurimũ lucis ac decoris
sublimiũ rerũ p̃stãtia, & numero pollicebat. Hęc mihi p
posui, si vita supasset, et vberioris materię fiducia, et iusti
opis spe, haçtenũ opusculũ p̃ssi. verũ tamẽ quũ ætas igra
uescat, & homo bulla sit p̃cipue senex (vt Varro ait) &
indies minus ocij minusq; viriũ & spei in reliquũ vitæ,
veritũ, ne si diutius editionẽ differã, his paucis q̃s genui
ũ sibus interire, & quos cõcœpi nõ nasci cõtingat, hortã
tibus amicis, triũphum (vt obiter ex equo cecinerã) qua
lẽcumq; emittere in animo decreui, vt aliq; qbus plũ ocij,
ingenij, ac doctrinæ sit, admoniti eã materiã non esse a
poetis alienã prouinciã sumerẽt, & foetũ, quẽ ego cõcœ
pi ipsi eniterent. Prælusi igit; his q̃s vitã excitare & ex
hortari oratiõẽ mea possem, vt sacris ornamenta poetarũ
adiungerent. Quid em̃ phibet; qd retrahit; quæ difficul
tas; vt diuorũ noia taceã, cur versus Christũ nõ capit; cur
nõ eque sonat hoc nomẽ, vt plerãq; gẽtiliũ; egdẽ videre
nõ videor qd dulcius in se habeat vel magis cõsonũ An
chises, Priamus, Aeneas, vel litterarũ natura vel cõposi
tione, si elementorũ sonum & structurã perpendimus.
Quid habet dignius quẽso Tros & Erichthonius, Aege
us, & Cecrops q̃ Christus; quid Ajax vel Teucer ele
gantius delicatis auribus affert; aliq; iudicent. an hoc to
lerabile est, q̃ eleganter crista versibus inseritur. Maro.
Tum galeam Mefapi habilẽ cristisq; decoram Induit,
& alibi, armaq; Lauso Donat habere humeris & vertice
figere cristas. Papinius. Albaq; punicea interfecat insu
la cristas. Silius italicus. Quatit aura comãtes Cassidis
auricomæ cristas. ea similitudo nominũ est, ea tum litte
rarũ, tum syllabarum cognatio, vt ab eadẽ fere origine

utrumque deduci videatur, si sonum quo mouentur sequi velint. re tamen diuersa sunt admodum hæc & longè distant. Quid quod idem Silius, eodem pene nomine, cristam tudertem his versibus celebrat, Flumineo libycam turbabat in aggere pubem Cristæ nomen erat, bis terni iuncta ferebantur Arma senem circa nati. & paulo inferius. Tandem cum toto cecidit grege nomen in umbro Claram cristam diu populo. Alterum tamen probant, alterum tamen respuunt, cur hoc? an quia minus delectantur sacra quam profana. Ego vero ita existimo, ut quicumque se de locet, verum cum dignitate impleat & terminet, excipiant hæc quidam cum risu, certo scio, & continent. fastidit namque religiosa animus lasciuior, & quæ ad sacra pertinent despicit, nugam probat, fabulas laudat, libidine delectatur, quam si tollas, nihil relinquit quod fastidium leuet, fastidiant huiusmodi ingenia, & ut libet suo furore agitentur, quandoquidem sine controversia reor fore, ut omnes qui doctrinam aliquam cum probitate & religione coniunxerint, sententiam meam probent. quod si elegantissimum & sacratissimum nomen, & omni honore ac reuerentia procul omni dubio dignissimum a fonte sororum (ut aiunt) auersum existimant: cur non deum vocant: cur non tonantem: cur non rerum opificem, patrem omnipotentem, & cœli terrarumque regem appellant: maluit profecto peruicacia quadam, mortali ac nequissimo hominum Ioui hæc indere cognomina, quam ei cuius propria sunt & non alterius. Sed de nomine satis. At opera diuini opificis, numero, varietate, & ornatu, admiratione quotidiana, omnium ingenia ad scribendum incitant, & ad summi laudem auctoris, & sacra celebranda mysteria, exhortant. rara tamen de his mentio est, quod poeticam facultatem excedere fortasse arbitrantur. Negare non ausim, eam esse diuinarum rerum vim atque dignitatem, ut nullo stilo assequi possimus. non tamen ita remotam censeo, ut cæmenis inaccessibilem rear. Verum

enimvero si maiora viribus iudicantur, relinquatur, si libet, quæ difficiliora sunt, nec de trinitate aut Christi corpore verba faciant, nec eiusmodi velint scribere, & ea attingere, quæ altissima eruditissimorum ac sanctissimorum hominum ingenia fatigarunt. Et si ad hæc quoque gentilitas (si quis accuratius monimenta discutiat) sese erexit, ad quod poeta aditum habet, nec dubium sit cuiusque gentiles imaginem & simulachrum coluisse trinitatis, quod ita esse facile ostendatur, si vnum prius explicetur. Maiores olim qui aliquo ingenio & doctrina præstiterunt, deorum multitudinem nihil aliud existimasse quam diuersas, vniuersum & solius dei potestates. Prætereo quæ Theodosius in saturnalibus, ea de re copiose & eleganter disseruit, qui non modo deorum numerum, sed deorum quoque ad vnum diuinitatis numen referri oportere, apertissime demonstrat. Satis mihi sit vnum superi Iouis testimonium ex poetica disciplina & elegantiâ excerptum. Ita enim in deorum concilio inducitur concionem exordiri. Cœlicolæ magni & summa huius sententiæ maiestate subiecti, quos nostra potestas imperijs diuisa facit, qua plane testatus est deos omnes a se pendere, & particulas esse potestatis suæ, vnumque esse omnium numen & solum, diffusum tamen ac late patens diuersa nomina sortiri. His itaque constitutis, per se patet facilius esse tres ad vnum reduci quam multos. tres autem præcipue coluisse nulli obscurum est, Iouem, Neptunum & Plutonem, Saturni & Rheæ filios, quibus vulgatum est cœlum, maria & inferna regna paruisse, et cum his omnia. Ioui fulmen trifidum, Neptuno tridentem, Plutoni tricorporum cerberum tribuere, in quibus ternarii numeri est ratio seruata. Tres namque fratres, tria regna, tria attributa sunt, & hæc trifariam disposita, triplicem etiam cuspidem fulmini, tres dentes fuscinae, tria cerbero capita dederunt, quo tendit huius numeri tam diligens obseruatio: nepe ut vnus omnes &

oīa idem habeant & sint, quod ipsius diuinitatis cōmunio (omnis nāq; dij habitū sunt, et idē oībus nomē probabile reddit, louē enim quē cōelo regnare putauerūt supermū, optimū, maximū vocauerē. hinc trita apud antiq; oratores p̄fatio, Iuppiter optime maxime, sic em̄ ordiebant. Neptunū vero secundū louem appellari Papius his v̄bis ostēdit, dextrāq; secūdi, Qd̄ super est, cōplexa louis. Plutonē stygiū louem dici satis constat. Maro, Sacra Ioui stygio q̄ rite incepta parauī, Perficere est anūs. Iuppiter igī cōelī rex, Iuppiter maris arbiter, Iuppiter infer̄ rector est. oībus ergo his locis vnū regnare, & vnū esse louē, non aliud p̄ se fert q̄ vnū esse deū, ac tres q̄uis distinctos, vnum atq; idē habere numen, & in vnā coire potestātē. Vides aut̄ trium vnitatē, de qua loquebamur, apud gētiles quoq; ostēdi. Nō senserunt, q̄ p̄piā hęc diceret, immo exploratissimū est nō aliter doctos viros esse arbitratos, q̄ numer̄ deorū ad vnū referri, & vnū esse. non nouerūt patrem & filiū, nec spiritus sancti meminerūt, fateor, sed tāta similitudo potest maiorū exēplo, qui hęc tetigerūt, nostrā etatis poetas ad scribendū excitare. De corpore vero Christi, salutifero christianorū viatico, quā dicunt, & credimus, admirationē habent supra modum, non tamē adeo aliena sunt, vt nihil prorsus simile apud maiores inueniāt. cur vltra fidē iudicant quidā panem carnē fieri, & vinū sanguinem? At qui Xerxes infusum patere merū, in sanguinē nō semel, sed iterū & tertio cōuersum vidit. Sed a poetis hęc quærimus, de quibus agit. Legimus itaq; apud Maronē, lactices nigrescere sacros, Fusaq; in obscenū se vertere & vina cruorem. An hoc somniauit em̄nētissimi ingenij ac doctrine viri q̄ nihil vnq; carminibus inseruit, nisi ex altissima quadā disciplina aut historia repetitū. Fuit pro-

fecto hoc magis apud nos celebrandū, q̄ vinū nō in obscenū se vertere cruorē, sed in Christi sanguinē vera p̄cipue religione edocemur. Panē vero transire in carnē adeo absurdū est, quū in cibo quotidiano idē fieri cōtinue sentiamus. Legimus ad hęc quindecim libros trāsmutationum Ouidij meras fabulas fere oēs, rem mysticā verā & religiosam cōmemorare sup̄ sedimus, q̄ apud alios minus celebris sit, tanq̄ religiois nostrę nihil sit propriū & peculiare, quū tñ apud gentiles huiusce quoq; mysterij similitudo nō desit. nā qui in deos reciperent adnectar & ambrosiā immortalīū potū & cibū inuitabant. Cōuenit profecto cū Christi verbis, qui ita nos ad immortalitātē inuitat, Qui māducat hūc panē viuūt in æternū. Proponitur itaq; nobis suauissimū & saluberrimū nectar, Christi sanguis & ambrosia, Christi caro, quā q̄ rite gustauerūt in eternā vitā ad foelicitissimā beatorū immortalitātē trāscribenē. Sed hęc tanq̄ nimis fortasse remota missa faciāt. Christū aut̄ verę deū & hominē apud hoīes natū & educatū, cur relinquūt? cur nō laudāt? si nō ea pte qua diuinitas fulsit, saltē qua hoīem induit cur verissimilia imo verissima ac dictu facillima v̄sibus nō tradūt? nō ordiatur a conceptu, q̄niā in eo diuinitatis opa fuit p̄cipua, & (impossibile em̄ putāt q̄ leges nature sequunt, foēnā, nisi marē admiserit, gignere posse) supra hoīm naturā est, fatemur. Sed qd̄ ita mirę est, deū in se ip̄o voluisse aliqd̄ excellentius opari? Atq; Martē ex Iunone sine viri officio natum esse, priscivates meminerunt, Christū ex virgine itēgra ortū nri cecinisse duri⁹ putāt, & v̄bū a diuina mēte sūmi patris, in virginis vter̄ descendisse scribere nō audent, quū illi Palladē ex cerebro louis editā carminib⁹ p̄dicēt, adijciūt largōq; sotos Curetes ab ibre, et Venerē ex sanguine & spuma ortā maris, vnde Aphroditē vocant,

& sexcentū ineptias. Pudet me hic inserere quæ de Ory-
one fabulant. Quid foedius dici potuit aut mirabilius?
q̄ infantē sine patris aut matris opa ex vrina genitū: qd̄
& nomē refert. Inuenit nihilominus ridiculū facinus au-
ctores poetas qui hoc decātarēt, q̄uis Hesiodus Neptu-
ni filiū ex Euryale Minois testaret: O cęcā temeritatē &
insanā petulantīā, narrabūt potius quidā Iouis incuna-
bula ac Rheę astus, & Corybantū æra, & occultos pueri
vagus referent, vel Bromiū per fulmē æditū immaturo
partu, paterno foemori alligatū, ad exactos menses per-
uenisse, & mille nugas, q̄ Christi natalē aut educationē,
in quibus exponēdis, virginis partus, præiā stellę aspe-
ctus, magorū ab orientis solis sinibus aduētus, & visita-
tio & adorantiū munera quæ infanti tribuerūt, fuga in
ægyptū & alia cōplura nō sterilē aut iniucundā materiā
pręstaret. quid tēpus tero: potius canerēt lliæ puerperitū
aut Auges nymphę, & stellā quā Aeneas capta Troia vi-
derat Idæa clarā se cōdere sylua. Educatū Romulū cum
Remo fratre, serino lacte, sub rumināli ficu, atq; lupę ful-
uo nutricis tegmine lætū, clarissima testant monumēta.
Christū vero a creginæ cœli pect̄o intemeratū, cecinisse
alienū arbitrant plæricq; facilius existimātes ferā Romu-
li nutricē q̄ Christi matrē posse laudari. Clara est Achil-
lis & Ascanij pueri indoles, & aliorū de quibus olim vas-
tes scripserunt. puericiā Christi musæ nostræ despiciūt.
nihil fortasse dignū laude aut memorabile, id ætatis de-
se præstitit. absit facinus nefariū. quid dignius laude aut
memorabilius dici potest q̄ puerū de lege cū sacerdotis
bus eruditissimis in tēplo disputasse: minus hoc fidei ha-
bebūt quoniā p̄ceptorē habuisse nō legerint, legunt tñ &
celebrāt in Parnaso nescio quē somniō repēte poeticam
hausisse, Christi disciplinā q̄ doctoris ferulā nō tulit, nō

recipiēt. Laboriosum esset oia p̄sequi & conferre quę ad
rem spectāt & passim inueniūtur. Tagū Silius in cruce
deplorat, pendentē Christū pro hominū salute nostri dis-
simulāt. Scripsi ego breuē quādā cōquestionē quā inter
alia hierosticha mea ædā. scripserūt illa gentiles, nemo
ibit inficias, cur nostri similitudine reꝝ ducti, Christi acta
scribēda esse nō censent: cur nō veterinū excutiūt: & ad
hęc (quę diximus) excitati nō cōuertunt: Sparsa fortas-
se exēpla minus mouēt. Descēsus ad inferos iugē perpe-
tuum & fere peculiarē poetarū materiā habere videtur:
habet equidē. Duxit Homerus carmine Vlyxē ad infer-
ros, Duxit Maro Aeneā. Descendit Hercules, Descēdit
Orpheus, trita est hęc orbita poetarū. quid inde fabulā
tur esse relatū: ab Vlyxe & Aenea nihil præter vmbraz
colloquia, vxorē Eurydicen Orpheus non vendicauit,
Hercules tricipitē Cerberę eduxit ad supos, si credere di-
gnū, admittamus sane. qd̄ ea de re beneficij est humano
generi allatū: palluit sol, territus est orbis, aconitū in no-
strā perniciē e spuma stygij canis ortum, veneficij acces-
sit. At satius erat tartareo barathro oculere, q̄ ad terro-
rem hoim cœlo ostētare. Hęc priscis vatibus decantata
sunt. Cur poetę Christiani, Iesu Christi iter ad inferos, vi-
ctoriam & spolia illa sanctissima nō canunt: non belluā
hic intra faucē eduxit, sed patres illos amplissimos, anti-
quæ legis, ab vmbis erebi liberauit. hęc sunt opima
triumphātis ducis spolia, hęc plena est victoria. sine qua
nihil Adam p̄nitētia & sudore vultus, nil victimis &
innocētia Abel, nil obediētia Abraā, continentia Loth,
Iob patiētia, Dauid psalmis, & sanctitate Moses profes-
cissent. omnia deniq; opera & labores cassi irritiq; fuis-
sent, nisi Christus de morte triūphasset. Quid em̄ mirā-
cula Elię aut Helisei, aliorumq; patrū admirāda facino-

ra momēti habuissent: nisi Christus victor a longo carcere & tetro vindicasset: quid Solis obediētia Iosue, somniorū interpretatio Danieli, Machabeis fortitudo profuisset: nisi horū gesta Christus resurgendo cōfirmasset: Sed quo feror tandē, quid pergo molestus esse, quid plura ingratis auribus ingero eorum, qui sanam doctrinā non sustinent: Iam carmina ista testent, an possit Christus versibus celebrari. Vale.

MACARIUS MUTIVS EQVES
CAMERS DE TRIVM
PHO CHRIS
STI.

Nfernos aditus, & fracti claustra profundi
Aetherea pulsata manu, spoliataq; cæci
Antra ducis canim^o. Christi pia musa triumphū
Incipe, siderei dicam spectacula regni.
Christus vt immēsa descēdit luce sub vmbra
Horrentes, mortisq; domos & regna silentum,
Inuasitq; erebro clausos trepidante recessus,
Horruit immanis percussū ianitor orci,
Impulsæq; procul disiecto cardine ditis
Procubuere fores, tūmuit pallentis auerni
Regia, nigrarūq; cohors turbata sororum
Occuluit pavidis horrentia monstra cerastis.
Aduentante deo tremuerunt scepra reclusæ
Noctis, & attoniti dextra cecidere tyranni

Protinus, atq; imas barathri petiere latebras
Confusumq; chaos, secretaq; tartara manes,
Ille serenata per aperta silentia fronte
Ingressus, pigram nubē noctemq; fugabat.
Ante oculos furui pulsa caligine mundi,
Sternebant sese passimq; æquata iacebant.
Obuia, tum nouies stigij circumflua campi
Cessit nigra palus regi, lachrymasq; remisit
Et tristes cocytus aquas cursumq; negauit,
Vt stetit in medio cœtu castoq; piorum
Concilio, inferna quos olim sede repositos,
Expectata salus sperando læta fouebat,
Ora diu patribus sanctis optata resoluit,
Talibus, & lentis vacuauit pectora curis.
Affulsit promissa dies, delapsus ab alto
Sum deus, humana tandē sub imagine corpus
Mortalesq; vices subij, nam frigora & æstus
(Vt fors dura dabat) coniūcto numine sensi
Factus homo, seuamq; tuli per vulnera mortē
Vitæ auctor. digitis etiam explorare licebit
Ingentem lateris plagam, manibusq; reflexos
Et pedibus clauos fossis, dum corpus operto
Accipiam rursus tumulo, primusq; resurgā
Iam patiens iterum læti redimenda redempta
Morte mea vita est hominū. sic mystica solui.
Dicta patres, varias olim complexa figuras
Nexibus ambiguis, quæ consumāda supersunt
Protinus absoluam, nūc vestra ergastula sunt

Cōcio
Christi.

Septem
vitia ca
pitalia.

Libera, damnatis calcata superbia cristis
Submissa ceruice gemat, rebusq; secundis
Inuidia infœlix aliorum sorte benigna
Præcipue vestra doleat, rabieq; cruentas
Ira premat fauces, ignaua per ocia vitam
Torpor iners damnet, nimiumq; insana cupido
Congestiq; fames auri, turpifq; voluptas
Infandæ Veneris, ventris quoq; laxa vorago,
Æternum cæcis tenebrarū linquitur antris.
Vos alacres mecū supera ad cōuexa triumphū
Ducite fœlices animum, super alta reducam
Sydera stelliferosq; axes, vbi regna beatos
Nullo sine manent, patris dabo cernere vultus
Quos refero, ætherea concessa in luce quiete,
Hæc inter lætas animas immensa pererrant
Gaudia, læticiam radiantis gratia frontis
Spargebat, stygijs diuorum gloria regnis
Spectatur præsentē deo, gaudenq; tueri
Atq; silent, auidos tardat reuerentia plausus
Orantis, postq; diuina silentia fandi,
Concessere vices, grato pia munere turba
Cœpit, & innumeris audita est vocibus vna.
Respō
sio. Venisti o superum celsi regnator ab arce
In tenebras, nostrūq; chaos visurus adisti,
Squalentes sine luce domos, & nigra profundū
Regna soli, mersis erebi sub carcere tandem
Expectatus ades, nec spes frustratur, ouantis
Ora ducis spectare licet, tu victor auerni

Humaniq; salus generis, tu nostra relaxas
Vincula, & obscura damnatas nocte latebras.
Te duce tænarū fugimus loca tetra cauernis
Horreda q; vmbra, abstrusaq; lingimus antra.
O pietas, vnde hoc potuit mortale mereri
Aut sperare genus? regē descendere ab astris,
Induat vt ferui formam, pœnasq; nocentum
Ipse luat, vitamq; reis vt sponte rependat
Morte sua, quid enim solio traxisset ab alto,
Immortalis eras, mortalia fata subire
Suasit amor, flexit pietas, clæmentia culpam
Diluit, vt superas tecum redeamus in oras.
Duc age, te sequimur, tibi fas, te gloria solum
Tāta manet, iustum superata morte triūphum.
Talibus intentis croceo titonia peplo
Aurea surgebat rosei lux tertia mundi,
Lutea puniceis sparsit confinia flammis,
Extemplo sublimis abit, circaq; frequentes
Obsessam tenebris sedē, noctēq; relinquunt
Insignes animæ, proceres, vulgusq; beatum
Et notas repetunt auras, terrasq; reuifunt.
Hic postq; manifesta fides dubitantia soluit
Corda metu, charæq; simul genitricis amorem
Impleuit, monuitq; suos, mundoq; resurgēs
Certa triumphato patefecit numina læto
Ad patrem superūq; choros remeauit in astra.
Gratior haud vnq; cœlo nec lætior alto
Vlla diēs orta est, tanta nec luce sereni

Arrisere poli, nitido nec purior orbe
 Flammiferos Titan radianti gurgite currus
 Extulit, & claro spectauit ab æthere terras:
 Quo rapit inualidas præceps audacia vires:
 Quo summi secreta dei spectacula cantu
 Ordiant: & diuum cœlestis ordine pompas
 Exequar: aut tantòs capiã qua mente paratus:
 Tu quæcunq; voles alti monumēta triumphi
 Qui nigris remeans duxisti victor ab vmbris
 Pãde mihi, quãtũ ipse dabis mihi dicere fas est.
 Scandebat niuea suspensus nube serenum
 Aera libratæ cœli per inania plantis
 Christus, & ætherij repetens fastigia regni
 Sidereum redigebat iter, dextraq; salutis
 Signa ferens, sanctas ducebat in ardua turmas
 Expectante polo, fulgebant vertice sacro
 Regis adorati vultus, vnde omnia circum
 Splendebant radijs, oculos quocunq; ferebat
 Spectatus grata ridebat lampade mundus,
 Pone sequebantur comites examine longo
 Sublimes animæ, primo cõmissa parenti
 Prima phalanx, priscũq; gen^s, cui clara ppago
 Hærebat pastor, primus qui munera grato
 Sacra deo, primos lætis a matribus agnos
 Obtulit, & primus crudelia vulnera sensit
 Germaniq; manus violentaq; funera cædis
 Inuidia suadente nefas, prope frater ademit
 Qui luctum, mortisq; tulit solatia mœsto

Catalo-
 gus.
 Adam.

Abel.

Seth.

Patre satus, prolesq; æuo documenta sequenti
 Quæ scripsit geminis cœlũ scrutata colūnis
 Et gens prisca simul septem quæ in sæcula vixit
 Casta dei soboles superis intenta, nec vllas
 Illa hominum cupiūt natas auramue secuta est. Noe.
 Hinc qui diluuiò terris vndante capaci
 Puppe novos circũ fluctus despexit & æquor
 Insolitũ, viduo feruens animalia mũdo.
 Et pater & structa sedit qui filius ara Abraã.
 Mactãdus gladiũ spectans dextramq; parentis Isaac.
 Iussa parat, dum sacra senex. patriãq; defando
 Crimine damnatam, diuinãq; sulfura & ignes
 Ardentesq; videre domos, pollutãq; tecta
 Qui spreuit, retro flexit quæ lumina coniunx Loth.
 In statuam mutata salis. Tum victus amore
 Inuictò iuuenis bis septem qui tulit annos Iacob.
 Seruitiũ, primas flammæ pactosq; hymenæos
 Suspirans, iuxtaq; natus cui læta iacenti Ioseph.
 Visa iubar placido summittere fydera somno,
 Fraternosq; suo stratos sub mergite culmos
 Vidit adorantes, magni præfagia fati.
 Et fratrũ fœcunda cohors, numerosaq; pubes,
 Et clarus patris sanguis, cui fusa per orbem
 Immensum latis resonat patientia terris. Iob.
 Lecta manus patrum, quos inter maximus alti
 Præcipuo splendore micans lux agminis ibat,
 Accepit rutilo fumantis vertice montis
 Aeterni qui iussa dei, magnusq; sacerdos Moses.

Aaron. Inscriptas humero gemas, tunicamq; hyacintho
 Intextam roseo, quam circum mala rubebant
 Punica, qui primus radiantibus induit oris
Heleazar. Conspicuo fulgens ostro byssoq; decorus
 Dum litat, & flauo limbus circumsonat auro.
Iosue. Monstratq; haeres sacri cultusq; paterni,
 Et volucres phœbi potuit qui sistere currus
 Produxitq; diem victor, quiq; ora gigantis
Dauid. Accinctus funda fregit, cytharæq; canoros
 Arguta cecinit modulato carmine psalmos.
Heliseus. Et qui diuisas sicco pede transijt vndas
 Fluminis, hospicio gratus dum præmia natum
 Dat sterili, & functum vitæ dum suscitât orbem.
Jonas. Quæq; vtero exceptum cætus vectare per vndas
 Aequoreas valuit, tutumq; exponere terris.
 Atq; oculis captus tenebris, quæ sparsit hirudo
Tobias. Nec prius aspexit lustrari lampade cœlum,
 Oblita q; natus seruato lumina piscis
Hiere. Felle ducis monitu abstersit, tum flebile threnos
Daniel. Qui scripsit querulos numeris, quæq; ora leonum
 Seu lacu medio securus mulsit & vngues,
Abacuc. Et qui mulcenti portauit prandia raptus
 Vertice per vacuum, simul & fornace profunda
tres pu. Impia qui tumidi risere incendia regis.
Esdra. Quicq; memor leges chaldæis ignibus vstas
 Reddidit, & septem fortissima pectora fratres
Machabei. Qui lingua & manibus scelerato vulnere cæcis
 Subiectas passi flammæ sartagine clausi.

Mille alijs elate gestis, aciesq; subibant.
 Quæq; suum comitata ducem, mille agmina passim
 Cernere erat variosq; globos, quos altus honore
 Præstabat, regum natam qui sanguine prisco **Pateram
 & ginis.**
 Reginam cœlo genuit matremq; tonanti, **Ioanes.**
 Et modo Iordanis dominum qui lauerat vndis **Bap.**
 Quicq; crucem merito passus dextræq; pepedit **Latro.**
 (Tantum extrema fides, summique modestia voti
 Præstitit) assertis surgebat in æthera diuis
 Ordine quisq; suo, quos ingens turba volucrum
 Infantum, dulces animæ nunc ore decoro **Innocentes.**
 Et risu ambibant, nunc oblectamine vocum
 Certandis blandis implebant cantibus aures.
 Hi sunt quos Veneris non attingit vlla voluptas,
 Nec macula infecit teneros, nam vulnere acerbo
 Infantes primo liquerunt limine vitæ,
 Tum hilaris cœlum scandens manus astra subibat.
 Candida summi decus & pars magna triumphi:
 Nec pia foemineo cessabat gloria sexu, **Eua.**
 Prima parens alias acies, ac signa regebat,
 Atq; alios amissa choros in regna vocabat
 Morte recepta ducis, matrum spectabilis ordo,
 Hanc natæ, castæq; nurus, neptesq; secutæ
 Quæq; diu sterilis fecundam sponte mariti
 Connubio famulam iunxit, sobolemq; benigno **Sara.**
 Illius amplexu fouit, sua gaudia partus
 Attulit, & nato arrisit despecta senectus. **Filia.**
 Et quæ sopiti lectum subire parentis

Et fratres peperere sibi, ne stirpe carerent.
 Hic amor in Venerē duxit non fœda voluptas
 Humanum reparare genus solumq; putantes
Rebecca. Orbe patrem toto mundi superesse fauillis.
 Tum mater gemini sensit quæ proelia fetus
 Dum properat, nasciq; prior dū pugnat vterq;
 Hic manib⁹ retrahitq; pedes, hic calce repellit.
Lia. Et quæ cōiugium furtim thalamosq; sororis
Rachel Preripuit, septemq; alios deduxit in annos.
 Vtraq; chara deo, communis ferre mariti
 Alternas contenta vices tantū æmula partus.
**Delbo-
ra.** Quæq; sub vmbroso respondit tegmine palmæ
 Et solymos octo rexit iustissima iustis
 Consilio, & longā peperit post bella quietem.
Sufāna Et quæ iudicio saluo intemerata pudore
 Pertulit, & falso conuicit crimine testes.
Iudith. Assirijs & quæ voluit se credere castris
 Aeternum meditata decus, cæsique cruore
 Aspersit viduas animoso vulnere palmas
Hester. Hostis, & obsessæ victrix caput intulit vrbi.
 Huic regina comes patruū formosa gementem
 Et populū tutata suum, sine numine circum
 Turba frequens læta diuinas complexa corona.
 At geminæ claras inter duo lumina matres,
 Tendebant gressus liquida regione volucres,
Anna. Altera, quæ dominā cœli terręq; potentem
**m̄r vir-
ginis.** Aediderat, foelix sero tamen altera foetu
 Qui regis præcurfor iter monstrauit, & illo

Fœmineo maior partu non attigit auras.
 Innumere aliæ castis quæ millibus ibant
 Admixtæ, & vario concordēs ore canebant,
 Quis turbam variosq; duces populiq; beati
 Signa canat: densasq; acies: quisue inclita di-
 Noia syderei scandētis summa triūphis: (ces
 Scindebant puras auras, puroq; volabant
 Orbe viri, matresq; simul castęq; puellæ
 Annosiq; senes, pueriq; & læta iuuentus
 Præcipue vates experti vera fidemq;
 Dictorū, pulchro subeuntes agmine pompæ,
 Sacra manus dilecta deo, quæ numine vero
 Afflata, & sancti stimulis agitata calorīs
 Euentus rerum cœliq; arcana reclusit.
 Vna omnes dulci mulcentes sydera cantu
 Aethereas arces promissaq; regna petebant.
 Interea læto diuorum ianua cœlo
 Ardua laxabat supremi tecta parentis
 Cœlicolūq; domos placidas, clarosq; panates.
 Aurea perperuis superū laquearia flammis
 Ardebant, sacriq; tholi sedesq; tonantis,
 Stellatęq; fores accensa per atria lucem
 Spargebant nitidis ignem miscentibus astris.
 Regia sublimi pompa, luxuq; beato
 Obuia prodibat, cœliq; exercitus omnis,
 Summa potestates ducebant agmina, & altæ
 Virtutes celsiq; throni, tum classica sancto
 Ore procul clangore pio pia signa canebant

Elisab^{eth}

Pro-
phetæ,

Victoris vexilla dei lectasq; cohortes
In superum coetus longo testantia cantu,
At circum propiore sono recinente citatis
Ad citharā leuibus digitis, plectroq; volanti
Innumera certante lyra, discrimina mille,
Mille fides ictis vario modulamine chordis
Et totidem surgens ad sacras barbitus odas
Aedebat, duplicesq; manus agitantia naua
Cymbalaq; et pulsis resonabat bractea palmis
Tinnitus tremula crispans ad carmina dextra,
Nec minus obliquas iungebat consona voces
Plurima compactis respondēs tibia canis,
Et sistrā, & grato crepitantia tympana bombo
Sambuce, & molles numeri quos tēperat vnda
Hydraulis, cœleste melos referēte monaulo
Diuinos iunxere modos, rhythmosq; fonante
Acta dei, tales modulans symphonia cantus
Læta triumphātes reuocabat in æthera diuos.
Ut valvas tetigere poli, exultantia claustra
Intrantem sensere ducem, micuere benignis
Ignibus & dulci tonitrus crepuere sereno
Accepit lux alma pios, fouitq; beati
Aura loci, incedunt pariter, speciēq; tuentur
Aeterni summicq; boni domus alta nitebat
Diuino fulgore acies, dum templa subirent
Celsa poli, mediasq; vias super astra tenerent
Ventum erat ad cœli solium mundiq; tribunal
Quo summa æterni fulgebant ora parentis.

Tum vero auditæ voces & carmina sacris
Dicta choris, laudes & fortia gesta triumph
Tollebat gauisa manus, gratesq; canebat
Ante pedes affusa ducis, vultuq; sereno
Intentos oculos mentesq; æterna voluptas
Pascebat, geminata pio tum gaudia plausu
Læticiāq; suis explebant pectora votis
Ipse triumphator magno cum patre sedebat
Sublimis, dextram sedem sceptrumq; tenebat
Maiestate pari, vnde æqua ditione gubernat
Omnia, sola eademq; tribus sociata potestas,
Quæ facies, quæue ora dei, quis cultus olympo
Quouere pater natum vultu amplexuq; recoepit
Dicere mortali vetitum, nec scire volenti
Plura datur, superantq; meas cœlestia vires,
Sed cum summa dies adierit, cū nostra redibūt
Corpora post obitus, vbi flāma vindice muns
Arserit, æthereos vultus habitusq; licebit (dus
Cernere, quum densa iudex in valle sedebit
Aeternus iusta decernens, vltima lance.
O vtinam dextra liceat sedisse tonantis
Electos inter cuneos, ædesq; beatas
Scandere, & extremo saltem remeare triūpho.

τελος.

Macarius, M. eques Camers lectori foelicitatē.

p Erlegisti facile, ni fallor, libellū meū, in quo si ele
gantia & varietas, quā desiderasti, lectiōis fasti
dium nō sustulit, leuauit breuitas. æquū te præ

beas oro. si epistolis meis scriptorū quorundā lasciuiā,
negligentiā, leuitatē non probō, nō crimen est, sed desis-
derium. vtilem em̄ & honestā operam, quā præstare pos-
terāt, expetiui. absit praua interpretatio, vt in nomē cu-
iusq; inuectum existimes eorū præsertim qui viuūt. Por-
ro si errata inuenieris, nō inuenies pertinacē. admoneas
quæso. Non ægre ferā discere & emendare, & imprimis
Christianæ cedere veritati. Vale.

MACRARI MVTII EQVITIS CA
METRIS DE TRIVMPHO CHRISTI
F I N I S.

MATTHEI BOSSI VERONEN-
sis Canonici regularis in IESV Christi
saluatoris passione, flebilis & deuo-
tissimus Sermo.

E immanitate supplicij, horrēdaq; morte parens
d tis & magni dei nr̄i, pditi orbis liberatoris v̄ba
facturus cōcanonici patres, ac pientissimi ciues,
tātus imprimis me horror inuadit, stupor corripit, cruci-
atus disrūpit, occupat dolor, vt apud me sim satis equis
dē nesciā, & polliceri vobis patres magis pfecto possim
singultus & lachrymas, q̄ sermonē, atq; facundiā. Quis
sane est ita fidē, ita charitatē, ita gratitudinē, ita tandem
humanitatē oēm exutus, vt in durissimū illius pectus ps
doloris & cōtritiōis aliqua oīno nō subeat? & cōtractā
eius etiā atq; agrestem funestus hic dies nō mentē emol-
liat? quo exempturus a ruina atq; interitu humanū ge-
nus omne rerū cōditor deus, potestate se nudās, immor-
talitatē & gloriā mortalitati ignominiaq; substrauerit,

